

spirituales aequaliter cognoscendas, propter similitudinem, quae inter utrasque intercedit.

Oppon. 5.^o Si cognitio intellectiva ulterius se extenderet ac cognitio sensitiva, tunc res esset diversimode in intellectu et in sensu. Atqui hoc dici nequit, quia alterutra cognitio esset falsa. Ergo intellectio reducitur ad sensum.

Resp. Dist. mai. Esset diversimode, si diversitas refertur ad facultates cognoscentes, *Conc.* Si refertur ad rem cognitam, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Solutio patet ex iis quae diximus in Logica de cognitione quidditatis universalis, quae est proprium obiectum intellectus. Quare una eademque res et intelligitur et sentitur, sed est diversimode in intellectu et in sensu, quia diversa et profector est assimilatio quae habetur in intellectu, quam assimilatio quae viget in sensu. Hinc intellectus cognoscit in re id quod non cognoscitur a sensu.

ARTICULUS III.

DE IDEIS INNATIS (1).

DOCTRINA PLATONIS ET AVICENNAE. Materialistae ac Sensistae confundentes intellectum cum sensu, putaverunt, res materiales eodem modo esse in intellectu, ac sunt in seipsis, atque ita docuerunt, obiectum intellectus nostri esse aliquid materiale, et in perpetuo fluxu positum. Contra Plato ut intellectum a sensu discerneret, in sententiam e regione oppositam concessit, et ex eo quod res sunt in nostro intellectu immaterialiter et immutabiliter, conclusit, eas eodem modo subsistere in seipsis extra intellectum. Rem sic notavit Aquinas: « Plato quia perspexit, intellectualem animam immaterialem esse et immaterialiter cognoscere, posuit, formas rerum cognitarum immaterialiter subsistere » (2). Qua de re Plato admisit, formam seu ideam hominis et equi, quam vocabat *per se hominem*, et *per se equum*, extra materiam subsistere; et has formas separatas participari ab anima et a materia corporali; ab anima ad cognoscendum, a materia ad essendum; ita ut, sicuti materia participando ideam lapidis fit lapis, sic intellectus participando ideam lapidis cognoscat lapidem (3). Anima ergo, iuxta Platonem, ab initio suae existentiae habuit species et cognitionem illarum, sed postea in poenam alicuius delicti in corpus tamquam in custodiam detrusa omnis antehabita scientiae oblita fuit,

(1) De hac re cf. S. THOM. 1 p. q. 84, a. 3 et 4, et loc. ibi cit.

(2) 1 p. q. 84, a. 3 et 4.

(3) Cf. S. THOM. loc. cit. a. 4.

et species illas tot tantarumque rerum insitas et in se consignatas, cum in corpus intraret, consepultas ac consopitas servavit. Verum decursu temporis per res sensibus perceptas admonita atque excitata, oblitteratae scientiae recordatur, atque ita declarat, se non tunc illa discere, sed reminiscendo recognoscere, quae cognitio attulit, ex quo effici vult, ut discere nihil aliud sit nisi recordari, sicque tantarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Non ea plane vidit animus, cum repente in tam insolitum, tamque perturbatum domicilium immigravit; sed cum se collegit atque recreavit, tunc reminiscendo illa agnovit (1).

Recentes idearum innatarum assertores. Inter recentes non defuerunt, qui Platonis doctrinam de ideis ingenis iterum in lucem proferre conati sunt, licet diversa ratione diversaque via. Siquidem admittunt cum Platone primitivam quandam cognitionem in anima nostra ex ipsa natura inditam; verum Platonis commenticiam sententiam de animarum praesistentia, et de immigratione in corpora reiciunt tamquam poetarum somnium ac fabellam, et suam de ideis innatis sententiam diversimode proponunt.

Cartesius, et generatim Cartesiani affirmantes, animae essentiam in ipsa cogitatione esse reponendam, asserunt, animam ab ipso suae creationis exordio quibusdam ideis fuisse instructam. Inter has principem locum sibi vindicat idea Dei, quae cum per rerum visibilibus cognitionem acquiri nequeat, necessario debuit ab ipso Deo in anima insculpi. Ultra tamen concedunt, quodammodo ideas, quae repraesentant res sensibus obnoxias, posse a nobis acquiri; atque ita trifariam partiuntur ideas omnes, nimirum in adventitias, factitias et innatas (2).

Leibnitius. Cartesii doctrinae de ideis innatis proxime accedit Leibnitii opinio. Is enim ratus animae facultates intellectuales non esse ab eius essentia distinctas, docuit, repugnare eas existere denuatas ab omni actu cognoscendi; converterentur enim in meram mentis abstractionem. Quare in anima humana admisit ingenitam quandam ac confusam cognitionem, in qua continentur omnes ideae ac cognitiones, ad quas subinde se porriget, cum per sensata eius vires sensitivae percelluntur. Unde essentia animae, iuxta Leibnitium, considerari potest ut indistincta imago seu *schemata* omnium rerum mundanarum, quod per animae activitatem evolvitur, quando corpora immutant sensus; et sic fit clara et distincta cognitio.

Rosminius. Inter idearum innatarum assertores adnumerandus est Rosminius, qui universalissimam ideam entis docuit, esse menti nostrae

(1) Cf. CIC. *Quaest. Tuscul.* lib. I, cap. XXIV; cf. etiam ARIST. *Metaph.* lib. VII, text. 44 usque ad 58, ubi doctrinam Platonis de ideis in se subsistentibus refellit.

(2) Cf. CARTES. *medit.* III, cap. VII.

ingenitam et esse formam ac lumen rationis. Ex applicatione huius ideae ad elementa sensibilia decrevit, oriri ideas genericas et specificas, quas mens sibi comparat. Siquidem, iuxta Rosminium, positis modificationibus virtutis sensitivae, quae constituunt obiectum sensilis perceptionis, animus naturae ductu inclinatur ad componendam ideam entis cum perceptione sensitiva; et sic intelligit res et efformat iudicia circa rerum existentiam, nempe decernit, actu existere, quod sensibus percipitur (1).

PROPOSITIO.

Systema idearum innatarum generatim spectatum in praesenti statu unionis animae cum corpore nullo modo admitti potest ad explicandam originem nostrae cognitionis intellectivae, seu nostrarum idearum.

Prob. prop. Arg. 1.^{um} allatum a S. Thoma, et quod sic concludi potest. Si intellectus humanus ideas possideret innatas, esset in actu respectu cognitionis, quae talibus ideis respondet. Atqui hoc falsum esse convincitur ex evidentissimo conscientiae testimonio. Ergo nullo pacto admittendae sunt ideas ingenitae.

Arg. evol. Cum propositio minor evidens sit ex eo quod in dies addiscimus, quod antea ignorabamus, sic suaderi potest propositio maior. Quaevis operatio necessario consequitur formam, cuius est effectus naturalis. Iam vero intellectio est naturalis effectus ideae seu speciei intelligibilis, quae intellectum actuat. Ergo, posita idea, intellectio consequeretur necessario.

Duplex effugium pracluditur. Ad vim argumenti eludendam minime affirmari potest cum Platone, unionem animae cum corpore in causa esse, cur hic naturalis effectus praepediatur. Siquidem cum unio naturalis sit, non potest impedire effectum naturalem, praesertim quia hoc verteret in detrimentum animae, cui prodesse debet coniunctio cum corpore; nam materia est propter formam. Neque melius proficit, quod a quibusdam adversariis obtruditur, nimirum consequenter ad ideas innatas scientiam remanere in habitu, fieri vero in actu per cognitionem sensuum. Hoc secundum effugium etiam nullum esse deprehenditur consideranti, scientiam habitualement ab anima prorsus abesse, si ipsa ad hoc ut intelligat actu, eget determinari vel excitari actione sensibilibus. Etenim natura habitus hoc sibi vindicat, ut habens illum, utatur eo prout ipsi libuerit; unde intellectus scientia habituali praeditus potest libere se convertere ad actualem considerationem. S. Thomas de intellectu loquens, ait: « Antequam habet habitum scientiae, qui est primus actus, non poterat operari cum vellet, sed

(1) Cf. ROSMIN. *Saggio sull'origine delle idee*, sec. 3, pag. 71.

oportebat quod ab altero reduceretur in actum: sed quando iam habet habitum scientiae, qui est actus primus, potest, cum voluerit, procedere in actum secundum, qui est operatio » (1).

Arg. 2.^{um} Si darentur ideae innatae, nulla sufficiens ratio offerri posset, cur, deficiente aliquo sensu, privemur omnino scientia sensibilibus, quod ipsi responderet non solum in particulari, verum etiam in universali. Atqui deficiente sensu homo de facto privatur tali scientia, uti accidit caeco a nativitate, qui omnium colorum scientia vacat. Ergo non dantur ideae innatae. Neque valet dicere, sensationem esse necessariam, ut ipsi applicetur aliqua idea universalis ad cognitionem determinatam habendam; nam ut aliquid potentiale et indeterminatum actuatur et determinetur, assignandum est activum quoddam quod illud determinet. Cum vero haec determinatio perficienda sit in ordine intellectivo, principium determinans intellectum ad cognoscendum nequit pertinere ad ordinem sensorium.

Arg. 3.^{um} Obiectum proprium intellectus nostri in praesenti sicut tu uti probavimus, est quidditas rei materialis abstracta a principiis individuantiibus. Atqui si cognitio nostra ortum duceret ab aliqua idea innata, obiectum proportionatum intellectus nostri non esset quidditas materialis, cum illa idea habita independenter a sensu esset magis apta ad representandas res spirituales, quam materiales, uti patet; nam esset in facultate spirituali, et esset causata ab actione principii intelligibilis, nempe Dei. Ergo ideae ingenitae sunt prorsus impares ad explicandam genesim nostrae intellectionis.

Confr. ex eo quod si nostra cognitio, cuius proprium obiectum est quidditas universalis rerum materialium, initium duceret ab ideis innatis, incidereamus in purum subiectivismum, nulloque modo pervenire possemus ad res singulares et existentes cognoscendas, cum nulla legitima ratio assignari posset, cur de aliquo determinato singulari praedicaretur essentia a nobis absolute cognita. Quam ob causam omnes philosophi, qui aliquas formas a priori in intellectu adstruunt, coguntur se recipere ad caecum naturae instinctum et inclinationem, ut de rerum realitate quidquam decernere possint; et sic obiectivitatem cognitionum nostrarum e medio tollunt.

SCHOLION. Recentiorum placita de ideis innatis expenduntur. Postquam a nobis generatim refutata est doctrina illorum philosophorum, qui, ad explicandum ortum cognitionis nostrae intellectivae, ad ideas innatas seu ad formas a priori se contulerunt, ad quaestionis complementum pauca addemus ad refellenda singillatim placita quorundam recentiorum, qui Platonis doctrinam diversimode modificatam ex cineribus excitarunt.

(1) *De Anima*, lib. III, lect. 8.

Refellitur systema Cartesii. Ad Cartesium quod attinet, vehementer negamus, essentiam animae esse positam in cogitatione, cum hoc sit proprium solius divinae essentiae, quae est actus purissimus; ideoque in Deo essentia, potentia agendi, et actio sunt unum idemque. Contra in omnibus rebus creatis non solum actio, sed ipsa virtus operativa realiter distinguitur ab essentia substantiali. Procul ergo a veritate aberrant Cartesiani, constituentes animae essentiam in cogitatione, eorumque error cum Pantheistarum placitis plurimam similitudinem gerit. Neque minus falsi sunt, quando ad suadendum, cognitionem nostram incipere debere ab ideis innatis, hoc levi utuntur argumento: Intellectus antequam speciem efformet, aut cognoscit rem a specie repraesentatam, aut ignorat. Non primum; quippe cognosceret, antequam haberet speciem: non secundum; nam efformaret speciem rei incognitae. Ergo origo idearum explicanda est per ideas innatas. Haec argumentandi ratio fallax est, et perperam admodum supponit, actionem causantem speciem, quae pertinet ad intellectum *agentem*, quaeque non *formaliter*, sed *efficienter* est cognoscitiva, debere esse formaliter intellectivam.

Refellitur systema Leibnitii. Leibnitius adstruit, essentiam animae esse per se repraesentativam totius universi. Hoc unice verum est de illa essentia, quae est rerum omnium causa. Uti enim notavit Aquinas: « Si aliquis intellectus est, qui per suam essentiam cognoscit omnia, oportet quod essentia eius habeat in se immaterialiter omnia... Hoc autem est proprium Dei » (1). Insuper Leibnitius docet, facultates sine operatione esse signum mentis; quod omnino falsum est, cum in creaturis facultas sit realiter distincta ab actu. Denique doctrina Leibnitii ad subjectivismum ducit; nam, iuxta ipsum, cognitio qua corpora existere deprehendimus, proficiscitur ex ipsa animae activitate, quae distinguit confusas perceptiones in idea totius universi contentas. Si haec doctrina vera foret, nullam de reali corporum existentia certitudinem habere possemus; nam, uti fatetur ipse Wolfius Leibnitii adstipulator, eadem animi inclinatio, qua ducimur ad realem corporum existentiam admittendam, invariabilis maneret, licet nullum corpus realiter existeret.

Refellitur systema Rosminii. Principio quidem Rosminius gratis et falso asserit, cognitionem nostram exordium ducere a synthesisi mentali, et ideo elementa sine quibus synthesis effici nequit, praesupponenda esse in mente. Quod si nostra mens in cognoscendo ab analysi sumit initium, totum Rosminii aedificium, subducto fundamento, mole sua ruit. Iam vero anima humana, quae in cognoscendo ab actu imperfecto progreditur ad actum perfectum, incipit a simplici apprehensione, ex qua procedit ad iudicium, et a iudicis immediatis, ratiocinando

(1) 1 p. q. 84, a. 2.

colligit conclusiones. Ergo nostra cognitio non orditur ab actu intellectus componentis et dividendis, sed ab actu intellectus simpliciter apprehendendis, et consequenter non a synthesisi sed ab analysi. Quare ratiocinatio Rosminii, quae sic concludit: In omni iudicio requiritur idea universalis. Sed ad ideam universalem acquirendam requiritur iudicium. Ergo ad vitandum circulum vel progressum in infinitum admittenda est idea quaedam generalis innata: haec, inquam, argumenti conclusio sophistica est et fallax. Nam male confundit abstractionem quae est per modum simplicitatis, ex qua habetur universale absolutum, quod praedicatur de rebus, cum abstractione, quae est per modum compositionis et divisionis. Prima efficitur per simplicem apprehensionem; ad alteram requiritur iudicium (1). Unde ad iudicium requiritur idea universalis; sed ad ideam universalem non requiritur iudicium; nam ad hoc sufficit simplex apprehensio per quam fit abstractio, considerando unum, posthabitis aliis.

Insuper systema Rosminii ducit ad subjectivismum et ad formas Kantianas. Cum enim in sententia auctoris, quocum disputamus, sentiendi facultas non percipiat nisi ipsorum sensuum modificationes affectionesque, planum est, applicationem ideae entis sensationi factam ab intellectu, si quidquam valeret, nos ducere tantum ad aliquid subjectivum cognoscendum, id est ad modificationem principii sentientis; minime vero ad realem existentiam rerum, quae extra nos subsistunt et vigent in natura. Quod autem hoc systema formas a priori Kantianas instauret, hoc conceditur ab ipso Rosminio, qui Kantium coarguit, non quod formas a priori tuitus sit, sed quod ad septemdecim eas perduxerit; cum una solum tanto muneri sufficiat. Verum ad rem quod attinet, non minori laborat falsitate Rosminius, quam Kantius, et omnia, quae dicuntur contra formas a Kantio ad libitum inductas, torqueri possunt adversus ideam entis a Rosminio confictam. Siquidem quaelibet forma intelligibilis, quae habita sit a priori, nequit applicari elemento sensibili, quod necessario est intellectui ignotum, nisi recurramus ad caecum instinctum naturae; nam intellectus non potest percipere convenientiam vel discrepantiam inter duo, nisi ea prius ipsi comperta sint. Ergo revertendum erit ad iudicia synthetica a priori a Kantio in medium prolata (2).

Demum systema Rosminii est plane ineptum ad propositam quaestionem solvendam. Nam supposita a priori in intellectu nostro illa idea entis universalissimi et maxime indeterminati, quaerimus a Rosminio quomodo huiusmodi idea repraesentabit aliquas entis determinationes, nempe substantiam et accidens, vel quasdam species, nempe hominem et equum? Rosminius, ut ex difficultate se expedit, illi

(1) De duplici abstractione disserit S. THOM. 1 p. q. 85, a. 1 ad 1.

(2) Cf. GALLUPTIUM, *Lett. filos.* let. 4.

ideae iungit determinationes procedentes a sensibus; sed haeret in sa-
lebra, cum hoc nihil sit; nam idea entis non potest determinari ad
substantiam significandam, ita ut dici possit: *Substantia est ens*, nisi in
intellectu habeatur notio entis et notio huius determinationis, quae est
subsistere per se, idest notio subiecti habentis esse in se et non in alio.
Ens quippe determinatur ad inferiora per varios essendi modos, qui
explicantur per diversas rerum definitiones, ideoque constituunt prae-
dicata quidditativa. Sic *homo est ens* significat quamdam determinatam
naturam seu quemdam gradum perfectionis, qui nomine humanitatis
designatur, et prout haec natura ordinem dicit ad esse, denominatur
ens. Neque ad ipsum singulare corporeum illa idea applicari potest,
nisi id antea fuerit ab intellectu cognitum. Uti enim notat Aquinas:
« Nullus potest applicare aliquid ad alterum, nisi illud praecognoscat.
Unde ista applicatio non potest esse ratio cognoscendi particularia,
sed cognitionem singularium praesupponit » (1).

Occurrit difficultati. Ex dictis oriri posset difficultas, cuius
solutio veram doctrinam illustrabit. Diximus, formas ingenas in
nostro intellectu non posse producere cognitionem obiectivam et cla-
ram rerum visibilibus; et tamen Angeli singularia corporea cognoscunt
per species universales et cum eorum intellectu concreatas. Respon-
demus, haec duo esse verissima, et minime inter se pugnancia, cum
diversus sit omnino modus cognoscendi, qui competit animae humanae,
et Angelis, et consequenter diversa sit virtus ac perfectio speciei intel-
ligibilis, quae est in intellectu Angeli, ac speciei quae est in intellectu
nostro. Siquidem species intelligibilis in Angelo fluens ex primo intel-
ligibili, nempe Deo, est superioris virtutis, et non representat formam
abstractam a materia, sed formam simul ac materiam. Hinc
forma illa cum Angelo concreata representat tum naturam univer-
salem ex parte formae, tum singularem ex parte materiae, et ideo An-
gelus unica cognitione et specie intelligit naturam in generali et in
particulari. Illustria sunt verba S. Thomae, quae rem sic declarant:
« Sicut ab intellectu divino effluunt res naturales secundum formam
et materiam ad essendum ex utraque; ita effluunt formae intellectus
angelici ad cognoscendum utrumque, et ideo per formas innatas cog-
noscunt res in sua singularitate et universalitate, in quantum sunt
similes formis factivis, scilicet ideis in mente divina existentibus,
quamvis ipsae non sunt rerum factivae » (2).

Ex adverso formae seu ideae universales in anima humana cum
non representent principia materialia, quae cognoscuntur per sensum,
si haberentur *a priori*, et non per abstractionem a sensibilibus, per eas
numquam intellectus posset pervenire ad cognitionem singularis cor-

(1) I p. q. 14, a. 11.

(2) QQ. DD. De ver. q. 8, a. 11.

pori, ideoque applicando formam universalem singulari cognito per
sensum operaretur caeco modo; et consequenter non posset intellectui
constare de reali existentia rerum, et de veritate iudicii tribuentis
quamdam formam universalem alicui singulari subsistenti. Hoc incom-
modum penitus evanescit, si forma universalis representans naturam
communem habita fuit per abstractionem ab ipsa re singulari cognita
per sensum (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Oppon. 1.º Si anima humana non intellexeret per ideas innatas,
eius intellectus esset mera potentia. Atqui repugnat aliquam realem
facultatem esse meram potentiam. Ergo in intellectu admittendae
sunt ideae ingenitae.

Resp. Dist. mai. Intellectus esset mera potentia relate ad esse,
Neg. Relate ad operationem, *Subdist.* Esset in potentia partim activa
et partim passiva, *Conc.* In potentia mere passiva, *Neg. Contradist.*
min. et Neg. cons.

Explico. Intellectus considerari potest dupliciter; vel ut acci-
dens aliquod habens esse in anima a qua per necessariam resultan-
tiam dimanat; vel ut virtus operativa dicens ordinem ad actio-
nem. In primo sensu intellectus est forma accidentaliter omnino in
actu, licet eius actualitas essendi dependeat ab anima. In secundo
sensu intellectus humanus, qui infimum locum tenet in genere facultatis
intellectivae, creatus est a Deo in pura potentia, ideoque a Philo-
sopho comparatur tabulae rasae, in qua nihil est scriptum. Haec
autem potentia intellectus non est mere passiva et receptiva, sed
etiam activa; ideoque in parte intellectiva animae adstruendus est in-
tellectus agens et intellectus possibilis, uti proxime explicabitur a nobis.

Oppon. 2.º Homo habet commune cum Angelis intelligere. At-
qui Angeli intelligunt per species inditas. Ergo etiam anima humana.
Resp. Dist. mai. Homo habet commune cum Angelis intelligere,
ita ut intelligat eodem modo eademque perfectione ac Angeli, *Neg.*
Ita ut intelligat modo diverso et imperfectiori, *Conc.*

Explico. Licet homo generice conveniat cum Angelis in eo quod
intelligat, seu per intellectum sibi assimilet res; nihilominus mirum
quantum differt ab ipsis in modo et perfectione intelligendi. Haec
differentia manifestatur ex proprio et proportionato obiecto intellectus
humani, et intellectus angelici. Siquidem cum obiectum proprium
intellectus humani sit essentia rerum visibilium immaterialiter cognita,
per quam ad res invisibiles quodammodo cognoscendas ascendit, homo
eget tum sensu, tum intellectu ad hoc ut pervenire possit ad suum

(1) Cf. quae disseruimus de cognitione singularis, q. 3, a. 3, pag. 285.

proprium intelligibile cognoscendum; ideoque intellectus humanus abstrahit species intelligibiles a sensibus, qui immutantur ab exterioro sensibili. Ex adverso Angeli per res spirituales et actu intelligibiles cognoscunt naturas materiales; ideoque intellectus eorum est semper in actu per species inditas et effluentes a primo intelligibili.

Oppon. 3.^o Si anima esset creata sine ulla idea innata, in acquirenda scientia ferretur in incognitum. Atqui repugnat, facultatem intellecticrem ferri in incognitum. Ergo admittendae sunt in anima ideae ingenitae.

Resp. Dist. mai. Ferretur in incognitum appetitu naturali, *Conc.* Appetitu rationali, *Neg. Contradist. min. et Neg. cons.*

Explico. Quaelibet facultas, quae naturaliter movetur ad suum proprium obiectum, fertur in incognitum, cum inclinatio illa consequatur naturam, non cognitionem; ideoque cognitio non debet esse in ipsa re, quae naturaliter movetur, sed in eo qui talem naturam largitus sit, nempe in Deo; nam natura est ratio divinae artis indita rebus per quam ad proprios fines moventur. Quod si aliqua facultas movetur ad suum proprium finem appetitu rationali, qui consequitur formam intentionalem, tunc illa facultas non potest ferri in incognitum. Hic motus formaliter non pertinet nisi ad voluntatem, quando inclinatur appetitu consequente cognitionem, minime vero quando movetur ut natura seu inclinatur appetitu naturali. Prima inclinatio in aliis facultatibus non invenitur formaliter, sed solum extrinsece et quatenus denominantur ab actu voluntatis.

Oppon. 4.^o cum Cartesianis. Cogitatio est essentialis animae humanae, secus destitueretur vita. Atqui si cogitatio est animae essentialis, necessario admittendae sunt aliquae ideae innatae. Ergo.

Resp. Dist. mai. Cogitatio est essentialis animae, si nomine cogitationis intelligitur actus cogitandi, *Neg.* Si intelligitur facultas cogitandi, *Subdist.* Est accidens necessario connexum cum natura animae, *Conc.* Constituit essentialiam animae, *Neg.* Ad rationem additam, *Dist.* Anima ad tempus destitueretur operatione intellectiva, nempe vita in actu secundo, *Conc.* Vita in actu primo, nempe natura viventis intellectivi, *Neg.* Solutio patet ex dictis.

Oppon. 5.^o Ignarus scientiae acquisitae, si ordinate interrogatur, apte respondet de veritatibus ad illam scientiam pertinentibus. Atqui non posset respondere, nisi haberet ideas ingenitas. Ergo in nostro intellectu admittendae sunt ideae innatae.

Resp. Dist. mai. Ignarus scientiae apte respondet, quia interrogatio ordinata generat in suo intellectu scientiam, *Conc.* Quia scientiam praehabebat, *Neg. Contradist. min.* Si scientia generatur per interrogationem, *Neg. Secus, Conc. et Neg. cons.*

Explico. Scientia acquiritur quando ex principis communibus per se notis procedimus ad propria, quae nobis sunt ignota. Porro

hoc fit vel inventione vel disciplina et magisterio. Magister autem potest vel proponendo vel interrogando procedere ex principis notis et communibus ad conclusiones; et sic ordinate interrogando potest progignere scientiam in intellectu cuiusdam rudis et ignari. Quare si addiscens verum respondet de iis de quibus interrogatur, hoc non probat, quod ea antea noverit, sed quod de novo didicit (1).

Oppon. 6.^o Homo antequam scientiam addiscat, amat eam. Atqui non amat nisi quod cognoscitur. Ergo antequam homo scientiam addiscat, habet eam in sua notitia per ideas ingenitas.

Resp. Dist. mai. Homo antequam discat scientiam, amat eam in quantum cognoscit quadam cognitione universali, cognoscendo utilitatem illius scientiae, *Conc.* Amat eam in quantum nullo modo eam cognoscat, *Neg. Contradist. min. (2).*

ARTICULUS IV.

DE RATIONALISMO TRANSCENDENTALI.

QUID TRANSCENDENTALISMUS? Rationalistae transcendentales dicuntur illi philosophi, qui originem humanae cognitionis explicandam esse contendunt omnino *a priori*; nimirum ab ipsa analysi cogitationis, independenter a qualibet experientia, quam *transcendunt*. Quare multo longius progrediuntur, quam assertores idearum innatarum, quippe qui non solum formas cognitionis ab experientia separatas et eam anteverentes comminiscuntur; verum etiam ipsum cognitionis obiectum profitentur construendum esse a mente per naturam quamdam activitatem, qua pollere affirmant.

Huius erroris ortus et progressio. Memoratae doctrinae, quae in placitis veterum Pantheistarum et Spinosae firmam habet fundamentum, occasionem propius praebuit inter recentiores Joannes Baptista Vico, qui exeunte seculo floruit. Is enim docuit, *verum esse factum intelligentiae*; quo ex dogmate omnia transcendentalismi deliramenta rite inferri, concludique possunt. Verum proximus transcendentalismi auctor et parens vulgo perhibetur Emmanuel Kant, qui in opere (vulgato an. 1781), quod ab eo inscriptum fuit: *Critica rationis purae*, systema criticismi transcendentalis in lucem edidit. Doctrinam Kantii amplexus est Theophilus Fichte, eiusque philosophandi rationem, quibusdam immutatis vel additis, magis enucleate tradidit, et di-

(1) Cf. S. THOM. 1. p. q. 84, a. 3 ad 3; cf. etiam QQ. DD. De ver. q. 11, a. 1, ubi profunde et perspicue S. Doctor explicat, quomodo magister generat scientiam in discipulo.

(2) Cf. S. THOM. QQ. DD. De ver. q. 10, a. 6 ad 4.